

II. *Palmare autem illud est, quod Rubeus tradit ex fide cujusdam libri Ecclesiae D. Michaelis Ticinensis, in quo haec legi affirmat, à parte dextera in cornu ipsius Templi est Corpus S. Eleucadii Archiepiscopi Ravennatis, qui dum ob philosophiam, cujus erat peritissimus, fidem Christi studiosissimè impugnaret, tandem superatus, & conversus est à B. Apollinari Discipulo Principis Apostolorum, & Coelestis Clavigeri Petri, qui post ejusdem conversionem de fide Christi mirabiliter scripsit, & disputavit, adeo ut tempore suo appellaretur Hæreticorum metus, & primus in Italia ordinavit officium nocturnum pariter, & diurnum, solemniter distinguendo libros novi, & veteris Testamenti, ut hodie per totam Ecclesiam leguntur in Matutinis, & Ravennam huc translationem fuit per Christianissimum Imperatorem Constantinum, natum Sanctæ Elenæ, qui hanc Basilicam fundavit anno Nativitatis Domini CCCXXV. propter gloriosum triumphum, quem tunc obtinuit contra Gallicos Imperium non verentes, precibus Signiferi Sancti Michaelis. Hæc ex Rubeo referunt etiam Bollandus, & Henschenius ad diem 14. Februarii, & rem pendentes addunt verba Caroli Sigonii de Occidentali Imperio lib. 3. ad ann. CCCXIV. de Templo S. Michaelis Ticinense à Constantino ædificato, & de S. Eleucadii Corpore illuc translato; præterea adjiciunt eadem cum Sigonio tradita à Stephano Breventano lib. 4. Historiæ Ticinensis, qui tamen pro CCCXIV. annum exprimit CCCXXV. His adjungunt Speltam in Thoma Episcopo Ticinense XI., confirmantem dicta de Æde à Constantino extructa, & Sacrum illud solùm affirmantem, Templum videlicet, consistere ædificatum ante Gothorum incolarum, ac denique Gualam in Sanctuario Papiensi lib. 4. cap. primo, qui Templum illud non à primo Constantino ædificatum dicit, sed à recentiori Italia Principe translatum asserit S. Eleucadii Corpus, idque consistere ex monumentis Ticinensibus. His narratis laudati Bollandus, & Henschenius desiderant distinctius nosse monumenta hujusmodi, si que sunt, præter allatum à Rubeo id Constantino Elenæ filio tribuens; inde modestè ex Rubeo querunt, qui sint, qui sentiant sacrum Eleucadii Corpus ab Aistulpho Rege translatum, qui regnavit seculo octavo temporibus Pipini, & Caroli; Rubeus enim, qui in priori editione Historiæ suæ rem absolvet tradiderat, in posteriori per hæc verba moderatius dixit plerosque opinatos Corpus ab Aistulpho translatum. Ita quidem non modo doctissimi Collectores, sed & Rubeus ipse ostenderunt se de rei veritate dubitasse.*

III. *Ego sanè ex D. Petri Damiani, ac imprimis ex Agnelli silentio, de ea re, quam maximè dubito. Qui enim fieri potuit, ut qui absque hæsitacione (quod aliàs consuevit) scripsit Eleucadium sepulcrum extra muros Classis, ubi usque ad sua tempora ad laudem sui nominis ejus Ecclesia ædificata fuerit, quæ etiam Petri Damiani ævo extabat, nil addiderit de translatione ejusdem Ticinum à Constantino facta? Quod si id tribuatur Aistulpho, ut contendit Rubeus, vel Lèutprando, ut Fabrus perperam in id citans Scriptores supra*

A *laudatos, crescunt argumenti vires, etenim incredibile mihi est Agnellum rem tacuisse suis ferè temporibus actam. Nil autem hic, nil in vita Sergii Episcopi, ubi multa de Aistulpho, qui ibi dicitur chlamydem, qui erat indutus super Sanctum Altare Ursianæ Ecclesiæ posuisse, & cogitasse de ædificandâ Petriana Ecclesia, quæ funditus eversa fuerat, licèt ob rerum vices id non præstitit. De Ecclesia etiam S. Michaelis Ticinensis Agnellus loquitur in vita Georgii Episcopi, & nullibi de Translatione asserta ullum habet verbum.*

B *IV. Præter hæc, ut dubitem de hujus Translationis veritate, facit inconstantia, qua rem tantam tradunt Auctores memorati; quorum duos testes, ut ajunt testes idem tradentes, non habemus, quare ex eorum dictis, quid verum sit, elici nequit. Unum monumentum, quod Rubeus affert, multis ex capitibus laborat. Primò etenim ex libro quodam illud sempisse se dicit, ubi de Reliquiis Divorum, quæ ibidem locatæ sunt, fit mentio, & nil præterea, quod libræ antiquitatem, & authenticam commendat; quinimo Rubeus ipse de monumenti hujusmodi fide debitans deprehenditur, ubi ab ejusdem asserto recedit, affirmans ab Aistulpho Longobardorum Rege factum illud ipsum, quod à documento Constantino Elenæ filio tribuitur. At librum illum Scriptoris rerum Ticinensium ignotum, recentioris Æditi cujusdam fuisse ostendunt, quæ ibidem leguntur de lectionibus veteris, & novi Testamenti dispositis, si Deo placet, à S. Eleucadio pro matutini Officii precibus, quales Scribentis tempore recitabantur; constat enim certas hujusmodi lectiones non fuisse dispositas nisi post seculum saltem undecimum, cum antea pro Superioris in Choro nota legerentur. Nec officii, ut vocant, dispositio una fuit per totam Ecclesiam, quod tradit libri ejus Auctor, nisi recentioribus seculis. Quinam verò triumphus ille gloriosus, quem tunc, idest anno CCCXXV. obtinuisse dicitur Constantinus contra Gallicos Imperium non verentes, ex cujus occasione S. Michaelis Templum Ticini extruxerit? Nullum novimus bellum contra Gallicos, seu Gallos Constantini tempore peractum, quinimo circa illa tempora Constantinum agentem in Gallis faustis acclamationibus exceptum exhibent Codices Theodos. lib. 2. de Veteranis, & Justin. l. prima de veteranis, ubi editum de immunitate Veteranorum dedit, de quo Baronius ad annum CCCXX. Nutat itaque asserta translationis Historiæ, quousque legitima monumenta proferantur, licèt alterius Sancti ejusdem nominis Corpus Ticini servari libenter credam.*

D *V. Ex Agnelli demum, Veterum etiam aliorum Agnello cognitorum, sicut & Recentiorum testimonio constat, Eleucadium inter Ecclesiasticos Scriptores, & quidem Apostolicos adnumerandum esse, quamvis omissum ab omnibus ejus argumenti Auctoribus, qui Bibliothecas conscripserunt. Magna sanè jactura opera ejusdem interierit. Scripsit autem.*

E *In Vetus, ac Novum Testamentum libros plures, De Incarnatione, & Passione Domini.*